

que Plato his duobus exemplis satis docuit falsam esse eam pietatem, quae induci posset, ut etiam sancta officia violaret.

Sed non modo hoc falsae pietatis genus in dialogo refutavit, sed etiam illud, quod in singulis quibusdam actionibus piis rebusque externis cerneretur. Euthyphro enim ab initio pietatem in eo positam esse dicit, ut malefici in jus vocentur. Paulo post addit etiam in aliis actionibus cerni similibus, quibus putat maleficia expiari, jura et divina et humana defendi, facinora improba prohiberi. In extrema dialogi disputatione ad initium revolutus pietatem definit in sacrificiis offerendis et in precibus fundendis esse sitam. Multas igitur singulas actiones enumerat pias easque externas. Quam omnino pietatis postremam proposuit definitionem his verbis: *ἐὰν μὲν κεχαρισμένα τις ἐπίστηται τοῖς θεοῖς λέγειν τε καὶ πράττειν εὐχόμενος τε καὶ θύων, ταῦτ' ἔστι τὰ ὅσια, τὰ δ' ἐναντία τῶν κεχαρισμένων ἀσεβῆ* (p. 14 B), ea vulgaris est opinio veterum de pio deorum cultu, cui videlicet etiam Euthyphro inhaerescebat. Licet enim Socrate duce ac magistro pietatem partem esse concesserit *δικαιοσύνης* i. e. honestatis diis probatae, tamen ad hanc puriorem hujus virtutis primariae cogitationem et definitionem excitari nequit, sed in ea acquiescit, quam tota antiquitas amplexata est, justitia suum cuique tribui. Quod si transfertur ad pietatem, quae in cultu deorum obvia est, diis tribuuntur ea, quae iis debentur, *τιμὴ, γέρα, χάρις* (p. 15 A. B.), hominibus ea, quae debentur hominibus, *χρήματα, ὧν δέονται παρ' ἐκείνων* (p. 14 D E). Quam ipsam rem Plato Rep. I. p. 331 B. brevissime ita comprehendit: *ὀφείλοντα ἢ θεῶν θυσίας τινὰς ἢ ἀνθρώπων χρήματα*. Utrumque autem sacrificando efficitur et precando. Ergo si homines deos donis, hostiis, quae iis accepta sunt et jucunda, honorant, si vicissim dii hominibus praebent ea, quae ab iis precantur, propterea quod indigent, utrisque suum tribuitur et cultui deorum satisficit. Qua in re nihil prorsus refert, qua mente homines sacra offerant et preces fundant, dummodo deorum non obliti semper teneant, quae iis tribuere debeant. Ita si agunt homines, dii propitios se praestant hominibus nec invident nec irascuntur. At hanc vulgarem externamque pietatem Plato Socratem lepida sua urbanitate refutantem atque detestantem facit, non quo sacrificia omnino non facienda nec preces fundendas esse censuerint, quod melius cognoscimus de Socrate ex Xenoph. Memor. I, 1 et de Platone ex libris de Repub., de Leg., ubi de sacris faciendis et festis agendis praecipitur, sed quod, nisi pia mente et honesta vitae ratione dii colerentur, nec sacrificia nec preces ullius esse pretii aut diis placere posse sibi persuaserant. Legatis, quaeso, locum Xenophontis hac de re praestantissimum lib. I. Cap. III, § 2—4, qui his verbis finitur: *ἀλλ' ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλιστα χαίρειν*. Eadem est sententia ejus, qui Alcibiadem II conscripuit, sive Plato sive alius, quod recentiores Platonis interpretes paene omnes statuunt, qui cum Platone consentiens p. 149 praeclare ita hanc rem persequitur: *Καὶ γὰρ ἂν θεινὸν εἶη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ πρὸς τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς ψυχὴν, ἂν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ*. Ergo ne hanc quidem pietatem sufficere, quae in singulis quibusdam actionibus iisque externis cerneretur, qualescunque essent, nisi ex pio animo proficiscerentur, sed omnem ejusmodi de hac virtute opinionem falsam esse abunde indicavit in Euthyphrone adversario ad absurda perducto.

Eadem disputandi ratione tertiam falsam de pietate opinionem refellit, qua Euthyphro deos utilitatis percipiendae causa coli contendit. Ista res maxime duobus quintae partis locis tractatur. Uno (p. 14 E — 15 A) Euthyphro, quamquam invitus, concedere cogitur pietatem esse artem quandam negotiandi, quae lucri causa exerceatur. Nam et ad deos et ad homines commoda quaedam redundare ex pietate, ad deos ex sacrificiis, ad homines ex precibus, quas dii exaudiant; itaque et deos et homines accipere eas res, quarum utrique indigeant. Quamquam paulo post denuo in tantas disputandi angustias compellitur, ut dubitet, num recte dii commoda percipere dicantur ex iis donis, quae ab hominibus offerantur, quum Socrates docuisset